



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

XLIII. Wahl und Krönung des Römischen Königs Wilhelm, am 1. November
1249.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

creditoribus obligare. Addicimus etiam, quod sedem nusquam constituamus in Prucia, nisi hoc de bona fratrum procefferit voluntate. Et ut hec omnia rata et inconuulsa permaneant, presentes sigillis mediatorum predictorum, cum sigillo nostro et de predictorum fratrum consensu peculiari sunt signate. Acta sunt hec anno Gratie MCCXLVIII. quarta Id. Januarii.

Nach Saezo, Geschichte Preussens, Weis. zum II. Buch, Bbl. I, S. 259. 260.

XLIII. Wahl und Krönung des Römischen Königs Wilhelm, am 1. November 1249.

Anno Dominice Nativitatis MCCXLIX, Wilhelmus, Comes Hollandie, apud villam Wornich in Regem Romanorum a Principibus (est) electus; Aquisgrani ad Kalendas Novembris, in festo Omnium Sanctorum, per duo Episcopos, Mindensem et Monasteriensem, benedicendum Archiepiscopo Coloniensi in templo presentatum duo alii Episcopi, Trajectensis et Leodiensis, in modum Diaconi, Dalmatica induerunt, quem prefatus Conradus Archiepiscopus cum magna solemnitate in Regem Romanorum unxit et coronavit. Consecratione autem peracta, idem Archiepiscopus locavit eum in Sedem Regni dicens, Super thronum sedis gloriose sedeas et iudicium et iustitiam in terra facias. Christianus Archiepiscopus Moguntinus cum oleo sanctificato dexteram eius foris inunxit dicens, Consecrare te dignetur omnipotens Deus in Regem Romanorum, qui David per manum Samuelis Prophete iungi iussit super populum Hebreorum. Arnoldus Archiepiscopus Treverorum manus super caput eius imposuit dicens, Descendat in te spiritus Sapientie, intelligentie, scientie, pietatis, fortitudinis et consilii replearisque spiritu timoris Domini. Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Archidapifer Regni, globum aureum in manus illius posuit dicens, Accipe globum sphericum, ut omnes terre nationes Romano Imperio subicias, et Augustus gloriosus appellari valeas. Marchio Brandeburgensis, Camerarius Regis, annulum in manum tradidit dicens, Accipe signaculum Monarchie, ut Romanum Imperium in suo vigore conserves, et invicta virtute ab omni Barbarorum incursione defendas. Dux Saxonie, Regis Ensiser, gladium ei dedit dicens, Accipe sceptrum Regium, ut rebelles severa correptione potenter affligas omnesque benevolos in tranquilla pace gubernes. Rex autem Bohemie, Pincerna Imperii, de consensu Archiepiscopi Coloniensis, coronam argenteam capiti Regis imposuit dicens, Accipe diadema splendidum, ut sis virtuosus actibus adeo coruscus in terris, quatenus merearis coronam eterne felicitatis habere in Coelis, Amen. Posthec omnes inferiorum partium Principes et Nobiles obedientiam ei prestarunt.

Aus Lünig's Reichs-Archiv (Bb. IV.) Contin. II. Part. Gener. p. 170. 171.